PRÆSES
RESPONDENTI SUO,
JO. SEBASTIANO PFISTERO
S. P. D.

VIdes, *Clarissime Domine Magister*, quàm promtam manum dissertationi, quam abs me hisce diebus postulâsti, componendæ adfuderim. Vix enim à me illam jussu præstantissimi Ecclesiæ Stutgardianæ Ministri, JO. OECHSLINI, cujus eruditionem & judicium pietatemque, quod nosti, magni facio, postulaveras, cùm ecce illa, paucissimis horis elaborata, in manus tuas labitur. Rectè autem facis, quod argumento tàm nobili & tàm raro tractando excutiendoque operam tuam consecras. Quid enim opus est, quid opus, inquam, est, rebus proletariis eviscerandis calamum adspergere, ubi tot præstantia atque egregia scribere possumus? Quid opus, inquam, est, magno conatu nihil agere & mures eniti? Ea danda sunt, ut arbitror, quæ erudita sunt, quæ solida sunt, quæ novis observationibus iisque in vulgum haud cognitis superbiunt, quæ novas veritates in apricum inque lucem producunt, quæ ædificant, quæ à præjudiciis, quæ ab erroribus, quæ à jejunis & macilentis rerum præstantissimarum, quas scire convenit, ideis homines liberant. Et verò plurimùm omninò gaudeo, quòd ex iis Auditoribus meis hactenus exstiteris, qui medicam intellectui suo manum adhiberi patiuntur veritatisque, licet communiter haud ita cognitæ, in amplexus, in oscula ruere gloriæ sibi ducunt. Perge ita sic bono isto in tramite, labor enim hic tibi olim proderit, perge, inquam, mi PFISTERE, & divinâ armatus luce talem te porrò siste, qui, in exilium missis quibuscunque præjudiciis pravis, ad ministerium sanctius adeundum dignis modis te præpares amplissimosque fidei sanioris & pietatis præstantioris thesauros sine intermissione tibi colligas. Sic enim DEO gratus, sic Ecclesiæ utilis olim bonusque Minister eris magnàque animum tuum pectusque felicitate & lætitiâ beabis. VALE. Dedi è Musæo d. VI. Aug. MDCCXX.


Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19